



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 22. Supplicium de occisoribus sumitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

crudelis intuitu nimium percelleretur. Verum quando robur animi, quo Martyres tormenta subeunt, non humanæ facultatis, sed divinæ gratiæ opus est, longam & variam Christophoro mortem voluit Deus obtingere, quo Dei adjuvantis virtus magis elucesceret.

CAPUT
XXII.
Supplicium
de occisori-
bus sumi-
tur.

Neophytorum
dolor.

Hostis visus.

Error Ja-
cobi Damia-
ni.

Taiubaius
truncatus.

Christophori
cadaver se-
pultum.

Iteratum
prælium.

CAPUT
XXIII.
Series vite
Christopho-
ri Mendocæ.

Christopho-
rus Mendocæ
dæmoni ti-
mendus.

UBI Mendocæ mors per Tapensia Neophytorum oppida nunciata est, Neophyti omnes catechumenique in vindictam exarsere. JESU-Mariani, non expectato ex aliis oppidis auxilio, arceps armis statim in campum prodissent, nisi eos Petrus Mola, protestatus se vindictam nolle, detinisset: sed non diu post ex JESU-Mariano & aliis oppidis mille & quadringenti milites simul concurrentes arceri non potuerunt, quin facta agmine ad corpus recuperandum pergerent. Eminebat inter omnes ardor Sancti Michaelis oppidanorum, quos noster Christophorus ad fidem primus reduxerat. Ibiaensium fines ingressis occurrere hostes, infestis armis ultra progredi verantes, & occisi Mendocæ vestis partem per ludibrium ostentantes: adeoque insolenter se gessere, ut ad pugnam nostros Neophytos adegerint. In primo congressu Neophyti, ab hostibus quasi coronam circumdati, multa vulnera accipere, donec dexteritate situm mutantes, hostes pænè victores ipsi cingerent, quorum multos trucidantes gloriosam victoriam reportaverunt. Nullus est nostris in conspectu desideratus est: vulnerati postmodum convaluerunt. Perperam verò Jacobus Damianus, in sua synopsis, id ad prodigium refert, his utens verbis. (*Ut sagittas membris infixas lasus quisque educebat manu, simul hæc sequebantur sine sensu doloris, sine plaga vestigio*) nihil enim ejusmodi portenti contigit: ut mihi inter JESU-Marianos Neophytos, dum hæc scribo, versanti & sedulo indaganti in comperto est. Suspicio autem Damianum inde fuisse deceptum, quod hujus Historiæ partem ex Gallica relatione facta, ab eo, qui authographum Hispanicum contortè traduxerat, excerpserit. Ex hostibus pænè cuncti, qui violentas manus Christophoro intulerant, miserabiliter periere. Incentor conjurationis Taiubaius, in ipso loco, in quo noster Athleta expirarat, ab Guaimica, Michaelitarum Duce, clavâ percussus, documentum fuit, quam non potens sui sit ira, amore atque desiderio paternæ caritatis inflammata. Cadavere ad JESU-Marianam coloniam translato, Socii ex vicinis oppidis confluentes, majori lætæ, quam pompâ, optimo viro parentaverunt. Interim Sancti Josephi coloni eadem irâ ob amissum patrem perciti, per devia loca in terras parricidarum investiti, præter spem frequentissimis etiam hostibus occurrere, cum quibus prælio facto, magnum captivorum numerum abegere: quorum trecenti ad oppidum reducti, Neophytorum numerum postmodum auxere. Nec Sancti Thomæ incolæ, quamvis maximè remoti, quievère, omnibus Neophytis in tanti sceleris auctores irâ inflammatis. Postquam tumultus utcumque subsedit, Socii æquè ac Indi in laudes Christophori Mendocæ ad mitigandum dolorem effusi, magnam meritorum segetem reperere: quam ego more meo in fasciculum colligam.

CHRISTOPHORUS Mendocæ in Sanctæ Crucis, urbe Provinciæ cognominis capite, inter montes Peruvix, quæ Paraquariam respiciunt, generosâ stirpe natus, avum & patrem hujus regionis prætores habuit. Sed paternam nobilitatem virtutum exercitio commendabiliorem facere volens, contemptâ avitæ præfecturæ adipiscendæ spe, sub vexillo summi Imperatoris in Societate JESU, admodum juvenis, stipendia meruit. Posito tyrociniis, & studiorum curriculo compendiarîâ viâ emenso, in arenam productus, tanta, quanta superioribus annis narravimus, in Guairaniâ & Tapensi Provinciâ præstitit. Antequam tantis periculis objiceretur, in Assumptionis urbe studiis vacans, ostendit quam timendus futurus esset dæmoni: nam cum Religiosi viri ex alio Ordine ab dæmone possessi ei cura demandata fuisset, observatum ab plerisque, ad unius Christophori nutum dæmoniæ facile circummagi, & quiescere; cæterorum verò imperia viresque tumultuosè eludere: diceres præsensisse palmaris viri potestatem. In Guairania, quatuor oppidorum, auspice Antonio Ruifio, fundamenta jecit. Pro defensione Indorum sagittâ ibidem bis

transfixus,